Mylius
De venaesectionis historia

DE VENAESECTIONIS HISTORIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVI. M. FEBRUARII A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ADOLPH. THEOD. MYLIUS
HILDESIENSIS.

OPPONENTIBUS:

B. HALSBAND, MED. ET CHIR. DR.
FR. STICH, MED. ET CHIR. DR.
H. NORDSIEK, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

NOBILISSIMO, AESTUMATISSIMO

H. C. G. KASSEBAUM

NEC NON

PATRI

OPTIMO, CARISSIMO

I. H. MYLIUS,

SACERDOTI APUD KEMMENSES,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Cogitanti mihi de dissertatione conscribenda obvia venit magna materiarum copia, ita ut diu haesitaverim, quamnam e multis eligerem, quaeque doctorandi otio dissertationisque angustiis adaequata esset. Multis jamjam electis iterumque rejectis ad satisfaciendum mori illi veteri maxime omnium mihi arrisit de venaesectionis historia ea, quae aut Viri celeberrimi protulerunt aut ipsi mihi obvenerunt in legendis veterum scriptis, hisce pagellis pro viribus et otio colligere atque ad dissertatiunculam formandam componere.

Sin vero his in paucis Tibi, L. B., non sufficiam eoque magis, cum jam haec materia a clarissimis auctoribus exarata sit, nihilominus spero fore ut indulgenter ea judices aequoque animo accipias.

§. 1.

Machaon et Podalirius, Aesculapii filii atque Chironis alumni tam eloquentiae, quam artis bellicae peritissimi, primi fuerunt chirurgi militares. Cum in bello Trojano stipendia facerent, virtute et fortitudine ita excelluerunt, ut Heroum principes eos nominet Homerus. Commilitones in bello vulneratos ibi curarunt, quam ob rem talem in iisdem excitarunt amorem, ut, quemadmodum Diodorus nobis enarrat, a pugnis ac molestiis bellicis liberarentur. Bello Trojano finito Podalirius domum rediens in Syrum insulam rejectus est, quam bene servatus adiret. Dum vero solus ibi circumvagabatur et a caprarum quodam pastore bene recipiebatur, ad Damoethum, insulae regem, aliquando vocatus est, cujus filia Syrna contusionibus valde laborabat: venae-

sectionem in utroque brachio instituit, quo remedio mox illa sanabatur.

§. 2.

Post nonnullos abhinc annos viris de hominum salute quam maxime meritis statuas et templa exstruxerunt, in quibus sacerdotes sacra facerent; ad quae igitur templa aegroti atque vulnerati peregrinabantur, ut a sacerdotibus ipsis hac in re auxilium fieret. Hominibus enim tum temporis erat opinio, omnem morbum a Diis immortalibus mitti et ab illis quoque solis ipsos posse curari. Remedia vero, quae in somno a Diis, medicinae praesidibus se accepisse declararunt, ejusmodi erant, ut nec damni nec frugi essent; saepius quoque heroicae curationes et consultationes medicae tam insanae, ut homines nonnisi maxima superstitione capti has sequerentur regulas. Etenim, ut exemplum producam, Aristides emeticis ab Aesculapio commendatis ita est debilitatus, ut hydrops subsequeretur: sanguinis detractio cum emeticis variabat: immo centum et viginti librarum in eo instituendam jubebat. Oratio sacra secunda pag. 531.

Καὶ ἐγίγνετο ταῦτα ἐν Περγάμῳ ἐν τῷ τοῦ νεωκόρου Ἀσκλη-

πιοῦ. Πρῶτον μὲν οὖν ἐπέταξεν αἷμα ἀφελεῖν ἐπ' ἀγκῶνος καὶ προσέθηκεν, ὅσα ἐγὼ μέμνημαι, λίτρας εἴκοσι καὶ ἑκατόν. Τὸ δ' ἦν ἄρα δηλοῦν, ὡς οὐκ ὀλίγων δεήσει τῶν φλεβοτομιῶν.

§. 3.

Hippocrates magnus ille medicus rationalis, insignis totius medicinae reformator ac pater, omnium primus bene observavit almam naturam et venaesectionis instituendae indicationes rite ex observationibus deduxit. Si enim morbus acutus et quidem vehementissimus, si aegrotus corporis habitusque robusti erat, venaesectionem semper instituit (1). Orgasmi moderatio et stadii coctionis maturatio praeberent rationes, cur venaesectio institueretur ab illo, ceterum quoque symptomata morbi bene respiciente. Hippocrates parti laboranti quam proxime sanguinem mittere consuevit, quia tali modo celerrime ex ejus opinione irritamentum derivaretur. Etiam in malis hydropicis inflammatoriae indolis sanguinis missionem commendavit. In morbis acutissimis, auctore illo celeberrimo medico, sanguis tam diu fluere debuit, donec color

(1) Apolog. Hippocrat. pars II.

mutaretur. Tempus quoque, morbi genium atque aegroti constitutionem semper bene distinguenda praecepit.

§. 4.

Chrysippus Cnidius, Pythagorei systematis sectator, venaesectionem omnino neglexit, quia hominum mentem in sanguine habitantem credidit. Homini haemoptysi laboranti fascias applicavit, quo remedio venaesectionem omitti posse putavit. *Galenus* in oratione de venaesectione adversus Erasistr. Rom. de eo dicit: Καὶ τί θαυμαστὸν Ερασίστρατον ἕπεσθαι τὰ πάντα Χρυσίππῳ τῷ Κνιδίῳ προηρημένον ἀποστῆναι τοῦ φλεβοτομεῖν ὥσπερ κἀκεῖνος, οὕτω δὲ καὶ Ἀριστογένης καὶ Μηδίος, οἵ τ' ἄλλοι πάντες, οἱ ἀπὸ τοῦ Χρυσίππου φαίνονται ποιοῦντες.

§. 5.

Praxagoras, qui omnium morborum causas in humoribus et in eorum depravatione haesitare crederet, una cum *Aristotele* opinatus est, sanguinem ex alimentis in arteriis parari, dummodo partes bene inter se mixtae essent. Venaesectionem saepius praecipue in haemorrhagiis institui jussit (2). Quamvis

---

(2) Caelius Aurel. diuturn. lib. II. cap. 13.

Hippocratis principia sequeretur, attamen in his perseveravit, ne post diem quintum in pectoris inflammationibus venam aperiret (3).

Erasistratus pathologiam humeralem omnino neglexit, ex qua *Eudemus* et *Herophilus* omnium morborum originem explicaverant; sed ex humorum aberratione tantum morbos derivabat. Contendit enim hic auctor, si in statu praeternaturali sanguis in arterias irruat, animum turbet et perturbate procedat, vel febrem vel inflammationem fieri. Verumtamen bene in hac re distinxit, ubi sanguis vasa invaderet, in quibus antea non adfuisset et animus perturbatus reperiretur, quod enim malum venaesectione amoveri non posset. Sed hac quoque de re venaesectionem neglexit, quia mittendi sanguinis quantitatem haud accurate delineare possemus (4).

Strato Berytus in omnibus morbis evitavit venaesectionem, quia venae loco facile arteria iceretur (5).

Apollonius Ther omnes universales san-

---

(3) Ibidem acutor. lib. I. cap. 21.

(4) Galenus de venaes. adv. Eras. p. I.

(5) Galenus de venaes. p. I.

guinis detractiones sprevit et topicas tantum per cucurbitulas instituit.

Menodotus empiricae scholae addictus sanguinem tantummodo misit, si ad singulas partes adesset orgasmus.

§. 6.

Hi fere omnes viri, qui a *Praxagora* usque ad *Menodoti* tempora medicinam exercuere scholae Dogmaticorum addicti, de praxi medica non valde meriti sunt; enimvero in his non solum acquieverunt, quae artis pater longaque experientia sancita reliquerunt, immo satius duxerunt, dicta ejus argutiis sophisticis prosequi, quam morborum naturam inspicere atque ex ea curandi regulas depromere. Qua de re in eorum scriptis relictis nova de arte medica frustra quaeramus, nisi *Herophilum* et *Praxagoram* excipiamus, qui quidem secundum *Hippocratis* principia medicinam tractaverint et primi fuerint, qui venaesectionis instituendae indicationes et contraindicationes statuerint; quos deinde secuti sunt *Serapion* et *Philinus*, qui jam accuratius ponebant indicationes et morborum similium symptomata distincte separabant.

§. 7.

Asclepiades Bithyniensis omnem curandi methodum, qua ante eum utebantur medici, despexit, *Hippocratem* ipsum, qui tranquillo animo naturam observavit, vituperavit et Hippocraticam medicinam mortis et diaboli disciplinam nominavit (6). Claruit ille praecipue systemate, cujus elementa e philosophia corpusculari petierat, quod quidem alicujus frugi erat, quia secundum hujus principia seminia et causae efficientes respici debebant, indeque natura sedulo observari; quae vero naturae observatio longum per tempus omnino erat neglecta. Therapia generalis et specialis maximam ab eo cepit utilitatem. Quamvis in omnibus fere inflammationibus venaesectionem instituerct, eam in phrenesia tamen omnino rejecit (7). Aëris indolem et aegroti constitutionem in venaesectione instituenda maxime esse respiciendas contendit Si angina valde acuta erat, ex utroque brachio sanguinem misit (8). *Themison* et *Thessalus* methodicae scholae

(6) Galen. de venaes. adv. Eras. pag. 3.
(7) Cels. l. III. c. 18.
(8) Cael. Aurel. acut. lib. III. c. 4.

fundatores, medicinae practicae magnum pararunt incrementum, quod in morbis curandis generales quasdam regulas proposuerunt; cautissime illi venaesectione utebantur in omnibus morbis, ubi vera esset inflammatio. In apoplexia quoque sanguinea venaesectionem instituit (9) *Thessalus;* in hydrophobia *Themison* (10). *Archigenes,* pneumaticae scholae assecla, in pleuresia e latere opposito sanguinem misit, donec syncope sequeretur (11).

Aretaeus, eclecticae scholae sectator, in omni morbo inflammatorio sanguinem detraxit et quidem in latere parti laboranti opposito.

Herodotus, Agathini aemulus et scholae pneumaticae addictus, secundum Hippocratica principia venaesectionis indicationes in morbis inflammatoriis definivit (12).

§. 8.

Omnium saeculorum ingeniosissimus aeque

---

(9) Cael. Aurel. chron. lib. II. cap. 1.
(10) Cael. Aurel. acut. lib. c. 16.
(11) Aet. tetr. II. Serm. 4. c. 68.
(12) Oribas. l. VII, cap. 8.

ac sagacissimus medicus fuit *Claudius Galenus.* Natus tempore, quo in medicina controversiae erant maximae, quo Erasistratei et Herophilei, Empirici et Hippocratici, Pneumatici et Methodici id tantum spectabant, ut medicinae essentiam argutiis inanibus et sophisticis obtrectarent, magnus hic vir in scenam prodiit, attentos reddidit medicos, ut prae omnibus naturam inspicerent, et perduxit eos in illam jamjam ab *Hippocrate* designatam viam naturae et veritatis. E naturae observatione morborum curandorum indicationes statuit et in acutissimis morbis *Hippocrate* auctore egit, et venaesectionem secundum illius morem instituit. Perversa vero est ejus opinio, quod in omnibus febribus intermittentibus quartanis sine ulla exceptione venaesectionem commendaverit (13).

§. 9.

Optime *Oribasius* venaesectionis instituendae indicationes statuit (14), qui e brachio lateris affecti sanguinem detrahebat. Ille

---

(13) Gal. de therap. ad Glauc. l. I. p. 201.

(14) Orib. l. III. c. 2.

enim ait, in inflammationis primo stadio revulsionem esse promovendam, in chronicis vero inflammationibus parti laboranti quam proxime sanguinem detrahendum, ut in parte aegrota humores stagnantes resolverentur et emitterentur. Tempus in sanguine mittendo non respexit, sed aegroti tantum constitutionem et morbi symptomata, quam ob rem immo die vicesimo sanguinem misit, nisi contraindicatio adesset.

§. 10.

Alexander ab Tralles, auctor valde eruditus, quoad venaesectionis principia a sui aevi medicis valde differt, quod venae secandae locus nullius ei erat momenti, quia arterias et venas per anastomosin cohaerere sibi persuasum habebat (15); attamen in nonnullis morbis laborantis partis venas icit. Etiam in hydrope venaesectionem reliquis remediis praemittendam esse dicit (16), quia haud rarius hoc malum indolis inflammatoriae esset; quali modo in syncope etiam sangui-

(15) Alex. a Trall. l. I. c. 17.
(16) Idem l. IX. c. 1.

nis detractionem esse instituendam, dummodo e plethora orta esset.

§. 11.

Rhazes Hispanus venis diversis aperiendis in variis morbis magnum tribuit pretium. In hepatitide e vena basilica brachii dextri sanguinem misit (17); in haemoptysi pedum venas aperuit (18). Hanc deinde legem in venaesectione sibi imposuit, ne vena in transversum sed in longitudinem tantum aperiretur (19). Semper vero virium et aegroti constitutionis respectum habuit, quam ob rem in pleuresia quoque, si vires jam fractae essent, venaesectio non fieret (20). Hominum aetatem non respexit, ideoque apud tenerrimos infantes, si indicatio adesset, sanguinem misit (21). Id vero prae ceteris esse respiciendum, ne animi deliquium venaesectionem subsequeretur (22).

---

(17) Rhaz l. XIII. c. 10.

(18) Idem l. IV. c. 2.

(19) Idem l. XV. c. 6.

(20) Idem l. IV. c. 3.

(21) Idem l. V. c. 6.

(22) Idem l. XVII. c. 4.

Avenzoar Arabum scholam sectatus in omnibus inflammationibus e latere opposito sanguinem misit (23).

§. 12.

Saeculo decimo sexto *Fuchsius* Arabum medicorum adversarius venaesectionem remediis evacuantibus saepissime praemittendam esse contendit, qua de re multa proposuit argumenta (24). Omnium potissimum *Ebn Sina* valde vituperatus est ab eo, quod ille in acutorum morborum primis stadiis sanguinis missionem omnino neglexisset.

Eodem quoque saeculo magnum ortum est certamen inter medicos de sanguinis mittendi loco. Secundum enim medicorum antiquissimorum principia in primo inflammationis stadio a parte laborante valde procul sanguis detractus est, et in minima quidem quantitate. Crediderunt enim tum temporis medici, si multum sanguinis mitteretur debilitatem totius corporis fieri maximam; si inflammationes metastatice ortae essent, ad illas iterum partes

---

(23) Avenz. theis. l. I. tr. XVI. c. 3.

(24) Fuchs inst. medic. l. II.

ipsas derivandas, e quibus originem duxissent; sin vero inflammatio magis esset chronica, e parte laborante sanguinem detraxerunt, metuentes, ne hoc orgasmus sequeretur. Paulatim *Hippocratis* ceterorumque de venaesectione medicorum regulas omnino neglexerunt, et in morbis quoque acutissimis a parte laborante quam procul sanguinem miserunt. Dum igitur sine ratione venaesectione utebantur medici, *Petrus Brissot*, Françogallus, pro venaesectione illa Hippocratica magno cum studio disputat. *Trincavella* contra medicorum Arabum more venaesectionem multa cum sagacitate defendit, haec verba asserens: revulsionem in absolutam et in revulsionem secundum quid esse dividendam (25). Cujus deinde auctoritatem omnes fere sequuti sunt medici. Cum vero semper magis magisque anatomia excoleretur et medici *Hippocratis* aemuli haberi vellent, methodus sanguinis mittendi arabica in dies obsolevit, et Coi principia de venaesectione locum tenuerunt supremum.

---

(25) Trincav. de venaes. col. 985.

§. 13.

Cum enim, uti jam vidimus, prioribus temporibus venaesectio efficacissimum in morbis remedium habita esset, ita etiam viguit illa, quamdiu rationali curationi honor ullus attribuebatur. Ast vero gliscente paulatim hujus temporis superstitione barbarieque omne bonarum artium studium opprimente de venaesectionis historia in aevi medii scriptoribus parum tantum invenimus. Primariam causam in eo ponamus, quod sacerdotes medicinam tractaverint et *Hippocratis* atque *Galeni* scriptis ab ipsis congestis tam magnam superstitionis et mysticismi copiam immiscuerint, ita ut animum *Hippocraticum* vix ullo modo in iis recognoscere queamus. Hisce igitur saeculis, ubi morborum natura omnino neglecta erat, empirice solum medicinam tractarunt, unde etiam deducere possimus, in omni fere morbo sine ulla exceptione venam apertam esse, quo tandem venaesectiones prophylacticae et consuetudinariae originem deduxerint.

§. 14.

Res cum ita esset, vir magni judicii et eruditionis in scenam prodiit, vir quidem sat expertus, qui disciplinam multa superstitione et mysticismo repletam reformavit; cui autem illa virorum celeberrimorum sors accidit, qui ab aliis laudaretur, ab alteris vituperaretur; est enim hic vir *Philippus Aureolus Theophrastus Paracelsus Bombastus ab Hohenheim.* Cujus de medicina rationum hic definiendarum locus non sit, quam ob rem ea tantum ad venaesectionem respicientia commemoraturi sumus: Archaeum, ait ille, in sanguine locum tenere supremum; sin vero sanguis non depravatus sit, dum circulatio bene succedat, etiamsi plethora et congestiones ex archaei erroribus ortae essent, venaesectione omnino careri posse; immo e sanguinis detractione magnum organismi damnum fieri, quia sanguinis missione archaeus minueretur. Quas quoque rationes e maxima parte *Joannes Baptista van Helmont* in venaesectione sectatus est (26). Medicina tamen, quae di-

(26) Van Helmont art. med. pag. 319.

citur practica, magnam ex eo cepit utilitatem, quia magnam istam depinxit noxam, quae e nimia sanguinis missione oriretur; et sat saepe quidem in febribus venaesectiones institutae sunt, quibus factis crisis omnino turbabatur. Quem secuti sunt multi medici prae omnibus *Jacobus van Hadden*, qui etiam in pectoris inflammationibus venaesectionem neglexit (27).

Portius Italus venaesectionem inutilem et operationem magnum afferentem damnum nominat (28).

Joannes Volpini in omnibus morbis venaesectionem repudiat atque in ipsa pneumonia vera acuta (29).

§. 15.

Philippus Hecquet, jatromathematicae scholae assecla, in sanguinis circulo et in fluidi nervosi circulatione theoriam medicinalem totam sistit; omnes morbos ex hujus fluidi ner-

---

(27) Van Hadden pleuris genezinge zonder aderlaeten.

(28) Portii Erasistr. 5. de sanguinis miss. p. 24.

(29) Volpini Spasmologia s. clinica contracta.

vosi et e sanguinis depravatione atque vitiis derivans. Si fluidi nervosi plenitudo in circulatione esset maxima, remedia sedantia adhibenda contendit, inter quae sedantia remedia ab eo venaesectio praecipue laudatur (30).

§. 16.

Quamquam *Georgius Ernestus Stahl*, vir sagacitate praeditus maxima, medicinae grandem praebuerit utilitatem, ast vero in nonnullis theoriis valde est vituperandus. Multorum enim morborum primariam causam in plethora sistendam contendit, quia plus corporis oeconomiae necessario sanguinis pararetur; instituendas igitur venaesectiones, ut sanguinis abundantia e corpore amoveretur, si natura ipsa per epistaxin aut per alia molimina sanguinem evacuare non posset. Deinde quoque, ut crisis perficeretur, ab eo venaesectio in febribus instituta est; dixit enim naturae vim in febribus valde esse excitatam, cujus ad vim deprimendam venaesectionem indicatam esse. In spasmis clonicis et toni-

(30) Medicine naturelle, vue dans la pathologie vivante p. M. Hecquet. Vol. I. disc. prel. pag. 34.

cis, in morbis paralyticis et in neurosibus sensu generali dictis prae omnibus remediis ab eo venaesectio laudatur, dummodo e plethora orirentur. Etiam in hominibus, jam per longum tempus ad venaesectionem assuefactis, nullo modo venaesectionem negligendam esse (31).

§. 17.

Fridericus Hoffmannus prophylacticam commendavit venaesectionem bis per annum (32). In febribus quoque sanguinis missionem adhibuit, quia, stadio cruditatis non finito, saepissime secundum ejus observationes febres hoc remedio sanarentur (33).

§. 18.

Quamquam enim plurimi aevi nostri medici in empirico-rationalem, ab *Hippocrate* jamjam sancitam viam curandorum hominum morborum procedentes, veras solummodo indicationes venae secandae prosequebantur; novissimis vero temporibus tria medicorum sy-

---

(31) Stahl et Richter venaesectionis patrocinium.

(32) Opp. Vol. I, pag. 274.

(33) De differ. organ. et mechan. p. 186.

stemata originem duxerant, quam maxime ab illis differentia, de quibus, quia multum ad venaesectionis historiam pertineant, ut sermonem faciam, mihi adhuc superest. Est quidem unum systema *Rasorianum*, quod in Italia, alterum *Broussaiianum*, quod in Franco-Gallia, et tertium *Hahnemannianum*, ut ipsi dicunt Homoeopathiam, quae in paternis regionibus maximam excitavit attentionem medicorumque animum movit.

Quorum trium sectatorum rationes tam theoreticas quam practicas, cum omnibus satis superque notae sint, hic latius exponere vix sustineam; verumtamen venae secandae eorum rationes paucis verbis tantum hic exaraturus sim.

Rasori ad maximam partem morbis incitationis diathesin inhabitare existimat, uti omnibus febribus, rheumatismis acutis, omnibus inflammationibus et multis etiam morbis chronicis, ac quos morbos curandos contrastimulum, ut dicit, anteponendum esse illi diathesi incitatoriae: quo enim fit, ut venaesectiones magnae saepiusque repetitae remedium opti-

mum atque efficacissimum laudarentur in omnibus jam dictis morbis.

Non valde a *Rasorii* ratione differt systema, quod appellatur *Broussaiianum*. Cum enim omnes fere morbi, uti *Broussais* asserit, ex ventris et intestinorum inflammatione originem ducerent, illis quoque remediis eos curandos esse, quae his contraria, uti sunt venaesectio et hirudines.

Quod deinde ad ridiculum illud *Hahnemanni* systema, cujus rationes ubique fere terrarum magis minusve circumvaga ıtur et jamjam in foro publico versantur, venaesectio in omnibus morbis sine ulla exceptione omnino negligitur, immo delictum capitale eum committere exclamant divi *Hahnemanniani*, qui in morbo aliquo etiamsi acutissimo venam secare ausus esset.

VITA.

Ego *Adolphus Theodorus Mylius*, confessioni luthericae addictus, Voeri civitatis Hildesiensis vico die XXX. m. Nov. a. MDCCCIX natus sum patre *Joanne Henrico*, qui apud Kemmenses sacris muneribus fungitur, matre *Charlotta* de gente *Baumgarten*, quam morte multis jam abhinc annis mihi ereptam maxime lugeo. Primis literarum elementis apud patrem imbutus sum, dein sex per annos Gymnasium Andreanum, quod Hildesiae floret, adii; domum redux a patre per annum institutus, quo praeterlapso Brunsvigam me contuli ibique per annum et semestre instituto medico-chirurgico interfui, ubi hasce audivi praele-

ctiones: de physice, chemia et pharmacia Cel. *Marx;* de botanice Cel. *Wiegmann;* de anatomia corporis humani tam theoretica quam practica Cel. *Grotrian* et *Osthoff;* de physiologia Cel. *Scheller;* de fascias applicandi arte Cel. *Osthoff.*

Anno MDCCCXXXI tempore paschali Universitatem Berolinensem petii, Rect. Magnifico Beat. *Hegel* in civium academicorum numerum receptus, a Decano Spectabili Ill. *Wagner* medicinae studiosis adscriptus sum, ibique has scholas frequentavi: Beat. *Hegel* de logice; Cel. *Wiegmann* de Zoologia; Ill. *Mitscherlich* de Chemia; Beat. *Rudolphi* de physiologia et de organorum sensuum anatomia; Ill. *Wagner* de pathologia et therapia generali; Ill. *Bartels* de Hippocratis aphorismis, de pathologia et therapia speciali; Beat. *Sundelin* de materia medica, Ill. *Kluge* de pathologia et therapia morborum chirurgicorum, de ossium fracturis et luxationibus.

Deinde tres per annos medici milita-

ris muneribus functus sum Duesseldorpii; quibus annis elapsis Berolinum iterum profectus apud Ill. *Strauſs*, fasces academicos tunc t. tenentem nomen professus et ab Ill. *Busch* Decano maxime Spectabili in medicinae studiosos relatus sum. Praelectiones frequentavi has: de anatomia chirurgica Ill. *Schlemm;* de morbis infantum Cel *Casper;* de arte obstetricia Ill. *Busch;* institutionibus clinicis medicis Ill. *Bartels* per duo semestria et chirurgicis Ill. *Rust* interfui.

Jam vero tentamine medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. *Morbus saepe morbo sanatur.*
2. *Quo major medicamentorum copia contra morbum, eo difficilior medela.*
3. *Venaesectio in tenera aetate non secludenda.*
4. *Remedia diaphoretica absoluta non existunt.*
5. *Pulsus morbi indolem non significat.*